

h. 101, 13.

X 2005199



D. D. E. A.
DE.

INSIGNI.
MUNIFICENTIA.

PIORUM. FREIBERG.

ERGA.

PAUPERINOS. SCHOLASTICOS.

UT,

GRAVISS. DNN. INSPECTOR.

ET.

RELIQVI. URBIS. ERUDITI.

TITULIS. CONVENIENTIB.

ORNATI.

NON-NULLOS. DISCENTUM.

DICTUROS.

EANDEM. CELEBRATUROS.

PRO. EAQV.

GRATIAS. ACTUROS.

CRAS. NE. NOLINT

AUDIRE.

OFFICIOS. ROGANTUR.

A.

M. MICHAELE. SCHIRMERO.

RECTORE.

FREIBERGÆ. TYPIS. BEUTHERI.



I. N. I.
LECTORI BENEVOLO
SALUTEM, ET STUDIA!

SI, quanti semper Principes, aliq̄, Gravissimi Viri fecerint Scholas, quantumq̄, in literarum amœniorum Studia impenderint sumtuum, nunc explanare susciperem; nã ego non Programma, sed integrum volumen pararem. DEI enim Opt: Max: singularis gratia & benevolentia singulis ætatibus Mæcenates non tantum Ecclesiæ orthodoxæ, sed & Scholis excitavit, qui ritè perpendentes, orbem terrarum ut sole, ita studiis ingenuis carere non posse, impensis hâc in parte erogandis non pepercerunt. Nihil dicam nunc de Ethnicis sanioribus, in quibus Trajanus, Imperator omnibus numeris absolutus, nisi quòd in Christianos atrocior, eminet, qui, referente Cuspiniano, urbibus per Italiam ad alendos pueros, ne vel hæc ætas beneficiorum suorum expers foret, multa largitus est. Ex Christianis Imperatoribus Constantinus M. Theodosius, Valentinianus, Carolus M. Bardas, Alexius Comnenus, Sigismundus, alii plures, sunt notissimi. Quæ vero ætatis injuria munificentissimos in Scholas tot Saxonie Electores, Fridericos, Johannes, Johannes Fridericos, Mauritios, Augustos, Christianos, Johannes Georgios, latere unquam patietur? Quorum tamen, & aliorum Principum, literas insigni liberalitate dignatorum, laudes ego, ne splendorem earum hoc rudi deformem penicillo, nunc intactas relinquo, relinquere quoq; cogor ad scopum præfixum accessurus. Mihi quidem iam liberalitatem Freibergæ nostræ, quam in Musas contulit, atq; hodiè confert manu largà, delibare sedet animo. Quippè ex Theatro D. Molleri p. m. Chronico documentis constat sufficientibus, paulò post extractam urbem Scholam hic institutam publ: Præceptoribus probatis ornatam, etiam à Serenissimis tunc Patriæ Patribus binis privilegiis liberaliter donatam. Sed nec mens nunc mihi, præsertim pagellarum augustiâ excluso, beneficentiam



Vid: Zwing: Theatr: vol: II. lib: I. f: 2358, & volum: 26. lib: unic: f: 4062 seqq.



Part: I. sect: 2, c: 9. p: 285. Qvæ vid: Chron: cit: part: I. sect: 2. c: 1. p: 174. & c: 9. p: 292.

tiam, quam Docentibus non parvè inclita probavit Freiberga, exaggerare pro dignitate. Sicco jam prætereo pede, quòd à SENATU AMPLISS: *salaria honorifica Præceptoribus constituta, conservata, numerata; quòd Civium corona liberales ergà spartam docendi in Scholâ sustinentes publ. aperuit manûs. Nec multa impræsentiarum verba facere, atq; piè defunctis Dnn: WOLFGANGO HILLIGERO, Consuli præclarè merito, CASPARO HORNIO, Scabino, JOHANNI Paetsch / Senatori, JOHANNI Holewein / Camerario, SEBASTIANO Hoffmeyer / Civi primi notæ, VALENTINO Buchführer / Prætori, & Xenodochii Præfecto, RUDOLPHO Bisthum ab Eckstädt / ut & Fæminis religiosiss: BARBARÆ, memorati jam Holevveini; MARGARITÆ, CHRISTIANI USLOBI; MARIÆ, Viri quondam plur: Reverendi, Dn: M. ABRAHAMI Genßreffen / Superintendentis meritiss: p. r. & demùm MARIÆ, Dn: ABRAHAMI MARTINI in Conradsdorff / uxoribus. (quorum nonnullorum quoq; inferiùs fiet mentio) *gratias decernere decentes valeo. Hi quippè, in manu Domini jam quiescentes, & dulcissimis gaudiis fruentes, non nescientes, quanto cum sudore saxum volvatur scholasticum, Magistris publ: Gymnasi nostri ut in sui memoriam non intermorituram quotannis aliquid pecunie distribueretur, per Testamenta jusserunt, & DEI gratiâ, Patronorumq; benevolentia succurrente hætenùs obtinuerunt. Quam liberalitatem incomparabili fœnore à DEO sibi restitutam coràm facie Divinâ nunc exultantes sentiunt; sed & alios expectant amulos. Tantùm jamjam beneficia piorum Freibergensium, quæ discipulis in Scholâ patriâ, præsertim pauperioribus, exhibuerunt olim, & nunc exhibent laudabiliter, paulò altiùs evolvere, atq; prædicare mihi est propositum. Non inconvenienter autem me facturum opinor, si quid in DEO Defuncti præstiterint discipulis, & quos adhuc per DEI gratiam Superstites in cœtum scholasticum diffundant beneficentia rivus, distinctè recitavero. Ne verò cramben sæpiùs coctam**

cum tædio apponere habeam opus; *præmoneo*, beatè *Mortuos*, quorum memoria sigillatim mox refricabitur, *maximam partem*, quæ *Hodierni* in pauperes *dispergunt discentes* manu menteq; liberali, in eos quoq; *dispersisse* largiter. Undè *illorum* modò injicienda *mentio*, qui per *Testamentum* certam *sortem*, cujus *usura* annuæ ad paupertinos *scholares*, eorumq; *redirent* sustentationem, destinârunt. Atq; hos *secundùm temporum*, quibus tanta eorum innotuit pietas, *seriem* commodè videor mihi posse recensere. Sed hîc primò *Reverendus* olim Dn: WOLFGANGUS PALMERUS b. r. occurrit, qui tempore Reformationis è *Clerico Pontificio* factus purioris *Doctrinæ* assertor, & *Concionator* in *ade Cathedrali Vespertinus*. Hunc *constat*, sine liberis & uxore (quæ ipsius obitum anteverterat) *decessurum* anno seculi superioris 65. *pauperibus Scholasticis, Freiberge* studiorum gratiâ commoraturis, 100. per *Testamentum* reliquisse *florenos*, unde *ultrâ centum annos* ejus *beneficia discen-*tes hujus loci *senserunt*, *sensuri* porrò probè. Quâ vero aliâ *ratione beatus hic Vir perennitatem nominis* melius adipisci potuisset? O ergò *præclarè factum!* quàm *uberes sementis* hujus factæ coràm facie DEI nunc is *accipit messes?* Succedit Dn: JACOBUS Stamm p. m. *ultrâ 55. annos* olim *Scabinus*, simulq; *Ærarii Pauperum Præfectus*, qui anteqvàm *centenarius* ann: 1573. *mortale*, quod habebat, deponeret, unâ cum *uxore*, Dni. *Caspari Horni Senioris Sorore*, 100. quoq; *florenis pauperes donavit discipulos*. Per *tot autem annos*, quot indè effluerunt, *calceis* circâ *brumale frigus vestiti* de hâc fuère liberalitate egeni *Musarum alumni*, *operam* laudabilem *Consule* olim hujus *Urbis* per complures annos in *sago & togâ meritissimo*, Dno. JOHANNÉ LINDENERO, b. r. *ejusq; Filio*, *Ampliff: Dno. JACOBO LINDENERO, Camerario*, adhuc DEI beneficio *superstite*, hîc *locantibus*. Hâc pietate *BEATUS STAMMIUS, & Uxor* ejus, in *coelis* nunc exultantes, *perennem* in terris sibi conciliaverunt *famam*, *testimonium in die novissimo accepturi* egregium. *Affi-*

Theatr:
Chron:
Moll: Part:
1. sect: 2. c:
4. p: 155.

Vid:
Chron: p:
418.

ni v
or
ver
pau
me
cent
inic
qvo
ner
cesso
rien
lebra
Prin
am
ctur
ram
Vir,
non
20. a
no p
BARA
sica, E
liter
1000
rum
tim
liff:
RUS
fico a
Epho
atq;
WE
move

ni verò suo *beneficiã* inferior esse noluit, qui multò inferior fuit annis, Dn: CASPARUS Horn/ p. m. *longus*, cum viveret, vulgò *cognominatus*. Hic enim, per annos quoq; non paucos *scabini* officio cum laude functus, æternitatem cum mortalitate permutaturus ann: *atate* 63, *Æra. Christ: 1602*, *centum pauperibus* civitatis aliis, *centum* etiam *discipulis*, quos iniqua vexat fortuna, constituit *florenos*. De horum *usuris quotannis* aliquot *egenis*, qui omnibus interesse coguntur funeribus deducendis, *calceamenta* donantur, Dnis. HORNIIIS successoribus, interq; illos hodiè *Viro Nobiliss: Ampliss: atq; Experientiss: Dn: D. JOHANNE CASPARO Horn / Medico Celebratiss: & ultrà 32. annos Freibergensium Physico Ordinario Primario benè merentiss: nulli labori operaq;*, ut *Antecessoris* piam mentem executioni mandent, *parentibus*. O benè factum! quot *pauperes in extremo die beatum HORNIIUM* coràm Christo & Electis præconiis sunt *excepturi*? Sed vocat me *Vir, cujus parem, quod munificentiam concernit piam, Freiberga non vidit, decantatiss: Dn: JOHANNES Holewein/ qui, ultrà 20. annos Senator & Camerarius optimè meritus, anteqvàm anno presentis seculi septimo è vivis decederet, cum Uxore BARBARA, Natà HORNIA, 10000. florenorum & Ministris Ecclesie, & Præceptoribus Scholæ, & non-nullis in Academiis operam literis navantibus, & variis duriore sorte afflictis, & inter eos 1000. quoq; pauperioribus destinavit discipulis florenos, quorum redditibus annuis hi vestirentur. Cujus Hæredes, præsertim verò LINDENERIANÆ FAMILIÆ, & imprimis Vir Nobiliss: Ampliss: atq; Consultiss: Dn. D. JOHANNES LINDENERUS, Jctus famigerabilis, unà cum Maximè Reverendo, Magnifico atq; Excellentiss: Dn: D. SEBASTIANO Gottfried Starck/ Ephoro nostro ultrà quàm dici potest merentissimo, & Nobiliss: atq; Ampliss: SENATU FREIBERG. ut intentio B. HOLEWEINII tam laudabilis, tam pia perstaret salva, nullum non moverunt feliciter lapidem. Ast qualibus & quantis, O Cælitibus*

Chron: p: 419.

Chron: p: 388.

bus diu iam adscripte HOLEWEINI, UXORq; Tua piissima te-
cum in aternitate triumphans, quantis, inquam, à tantà mul-
titudine, inquam tantum beneficiorum congeffistis cumulum,
in novissimo dierum excipiemini gratiarum actionibus? Sed nec
 Generosus Dn: RUDOLPHUS Bizthum ab Eckstädt b. m.
 Electoris Saxon: Sereniff: quondam Consiliarius, & Praefectura
 Chemnicensis Capitaneus splendidiff: mihi sicco prætereundus
 pede. Hic nimirum, recordatus, quòd Freibergæ natus, & ad 12.
 ætatis annum in timore Domini educatus esset, (fatente ipso-
 met in Testamenti tabulis ann: 1639. publici juris factis) inter
 alios quoq; pauperioribus discipulis nostræ Scholæ sortem 200.
 scripsit florenorum, è quorum redditibus non tantum pluribus
 materia vestium, sed & cibus & potus hætenus fuit porrectus.
 Quod cum aliis beneficiis egregiis, quibus B. Heros ille tenui-
 oris conditionis homines beavit, largiter dubio procùl DEUS
 compensavit, compensaturus inter Cœlites ovanti in omnem
 æternitatem. Paucis post elapsis annis calamitati discentium
 Vir cum cæteris nominibus, tum fide in Sereniff: Patrem Patriæ,
 & meritis in Freibergam nulli secundus Dn: JONAS Schön-
 leben/ in Langen-Rinne/ p: r: Illustriff: Electori Sax: à decimis
 metallicis, hujusq; Urbis multos per annos Consul dexterrimus,
 laudabiliter voluit succurrere. Cum enim prior ipsius uxor
 ANNA, è celebri HORNIIORUM stemmate orta, fatis con-
 cessione Ann: 1642. egenis 500. donasset florenos, Maritoq; ut pro-
 lubitu eos distribueret, permisisset; beatiff: Dn. Schönleben/
 100. quoq; pauperibus dicavit scholasticis quorum usura hæte-
 nus non uni de victu prospexerunt liberali. Sed DEUS pro his
 aliisq; decantatiff: Dn: JONÆ Schönleben/ UXORIq; pien-
 tiss: b. m. coronam vitæ æternæ immarcessibilem donavit, quæ
 in omnia seculorum secula coràm throno DEI & Agni in con-
 spectu omnium & Angelorum, & cœli Beatorum incolarum
 superbient. Ast nondum beneficentiæ hinc exaruit fons. Vix e-
 nim decennium intercessit, cum Ampliff: Dn: GABRIEL
 Horn/

Chron:
 1: 160.

Horn/ b. r. Senatorii Collegii membrum, & Camerarius insigniter quoque meritis, vestigia Parentis lecturus, Currendariis, qui omnibus interesse coguntur funeribus exportandis, sortem 200. florenorum, Testamento teste, ann: 1653. legavit. De horum redivibus haetenus, operâ præclarâ Nobiliss: Ampliss: atq; Consultiss: Dn: CASPARI LUDOVICI Schönlebens / Consulis nunc apud nos optimè merentis, tanquàm Generi beatè defuncti HORNII, pannus pauperioribus istis, undè vestes læviente hyeme sibi conficiendos curârunt, fuit distributus. Sed quàm fulget jam, fulgebitq; per omnes seculorum decursûs albis indutus vestibus beatus Dn: HORNIIUS coràm totâ S. S. Trinitate, omnibusq; Sanctis? Paulò verò pòst, anno nempè seculi, quod nunc currit, 59, par Fratrum dulcissimum, Dn: GABRIEL Horn/ Senator prudentiss: p. r. & Dn: FRIDERICUS Horn/ J. U. Candid: dignissimus b. m. Avi, Patrisq; insistendum sibi piè existimârunt vestigiis. Undè anno jam dicto, cum, vix aliquot dierum intervallo sejuncti, terrestrem infirmitatem cum cœlesti mutaturi essent perfectione; præter Ornamenta Templi Nicolaitani pretiosa, pauperes, & inter hos egenos discipulos, qui mensâ cibantur communi, egregiâ beneficentiâ affecerunt, posterioribus sortem 100. consecrantes florenorum. Quam pientiss: Ipsorum voluntatem Soror relicta unica, Fœmina sexûs sui Decus laudatissimum, ANNA CATHARINA, cum Marito, paulò antè, nec sine laude memorato Consule, Dn: CASPARO LUDOVICO Schönleben / executioni dederunt impigrè, per hosce annos pauperes multos, literis hîc incumbentes, ad Dei gloriam, Proximiq; utilitatem futuram, nutrientes. Quod beneficii pii genus sicut DEUS non modio, sed horreo Dnn: Fratribus HORNIIIS in cœlo remensus est, remensurus ulterius, dum æternitas erit: Ita Dn: Consuli, Ipsiusq; Costæ castæ quibusvis prosperitatibus refundere non dedignabitur. Sequitur Fœmina olim Nobiliss: BARBARA, nata MILTITZIA, primò maritata HARTITZIA, pòst SCHÖNFELDIA p. r. Hanc enim, quòd
Frei-

Freibergæ diu sedem ac domicilium constituisse, inter Freiber-
genses non iniquè retulero. Ex hujus, cum An: 1662. placidè
obdormiisset, promulgato Testamento fors 100. florenorum ad
pauperes Scholæ alumnos pervenire debuit, quam ii usibus suis
impendi auxiliè desiderant. Interibi Nobiliss: quondam in ter-
ris Fœminam multò nobiliora in cœlis accipere præmia, quis du-
bitabit? Agmen inter Patronos Musarum egenarum beneficos,
jamjam Demortuos, claudit, qui nescio, annon meritis primo
ponendus fuisset loco, Vir vario variarum, præcipuè politicarum,
rerum usu, dum viveret, nominatissimus Dn: SIGISMUNDUS
HORNIUS, p. r. Consul Patriæ decantatissimus. Hic quippè in-
geniis rarioribus, sed cum paupertate conflictantibus, quasi na-
tus, id perdius & pernox egit, ut nullis parcens sumtibus plures
educaret juvenes excellenter, è quibus vidus non unum, nec sine
laude, DEI honori, proximiq; emolumento vidit velificari,
quos plures DEO & die sequentur propitiis. Nolo verò ad fi-
nem properans omnia, quæ per Testamentum An: 1666. publi-
catum piâ mente constituit, prolixè recensere. Sufficiat ad
presens nôsse, illum non modò quosdam egenos hinc suâ pecuniâ
ali, sed & mense Communis convictoribus, Currendariis majoribus
& minoribus quotannis Nominali suo pannum, vel lintea, vel
calceos distribui voluisse, quem in finem, quod tres posteriores
attinet classes, trecentos dicavit florenos, è quorum fœnore memo-
rata res comparari, dictisq; pauperioribus discentibus in sui me-
moriam singulis erogari possent annis. Quæ ut ad mentem Dn.
Consulis executioni darentur, Hæres ejus, Vir Præ-Eximius, atq;
Clariss: Dn: MARTINUS ALBERTI, Jur: Ultr: Candid: Digniss:
laboravit sedulò. Quæ verò DEUM, eleemosynarum remunera-
torem largiss: Viro huic in vitâ æternâ contulisse putas præmia,
continuanda in perpetuorum seculorum spatia? Hactenus be-
atè Defunctorum, de discentibus laudabili munificentia præcla-
rè meritorum, recolimus memoriam, memores illius Seneca:
Hæc debemus, inqvientis, virtutibus, ut non presentes solum ibi

Lib: 4. de
 Benefic: c:
 30.

las, sed etiam ablatas è conspectu colamus. Sed ad presentium
Freibergensium liberalitatem ergà Scholæ pauperiora membra
predicandam vocor, non nescius verborum Symmachi, bonis
familiare esse studia benignè cumulare, quorum gratiam senti-
unt non perire. Quamquam autem hic amplissimus se mihi offerat
campus; tamen, ratione habità Pro-grammatis, primas nunc
saltem lineas ducam. An verò parvum, quòd liberales Freiber-
genses à primo ad imum ferè singulis septimanis Currendariis
intrè mœniabis, & exterius semel, nec non Chori Musici mem-
bris semel cantantibus stipem erogent largam adeò, ut autori-
tate Graviss: Dnn: Inspectorum indè etiam mensa communis
incrementa capiat? Annon excellens liberalitatis opus, quòd iis,
quæ in honorem Nativitatis, Circumcisionis, & Revelationis
Christi gentibus factæ solenniter aguntur, feriis splendidas
antè dictis distribuunt eleemosynas, fidem se possidere vivam,
sic satis luculenter ostendentes? Et quanti faciendum, quòd
nec funera Suorum à discipulis gratis deduci velint; Sed pro
ratione statûs & conditionis & hic munificos se exhibeant?
Annon jure merito efferendum, quòd in conviviiis Nuptialibus
canentibus liberalitatem suam probent discipulis, se in Domino
lætari, demonstrantes? Nec reticere quæo munificentiam Freiberg:
superiorum præsertim subselliorum, qui audientes Chorum Sym-
phonicum cantando sibi de Onomasteriis faustè reductis gratu-
lari, omnemq; prosperitatem à DEO expetere, liberales se præstant,
cujus quarta ad mensæ communis convictores sustentandos redit
pars. Qvis porrò silentii intempestivi conopæo celebrandam
teget beneficentiam, quâ Ecclesiastici, Politici, & Cives nonnulli
etiam quibusvis mensibus pecuniam, quâ mensâ fruente com-
muni alantur commodius, liberaliter numerent? Nec latere
patior, qui singulis septimanis pecuniam, undè panis emtus in
pauperes distribuitur scholasticos, erogant, in quibus etiam Dnn:
Administratores Collectarum Metallicarum, nec non Possessores
argenti-fodinae celebris, cui nomen Hohe-Bircke Ober 9. 10.

B

Maß/

Lib: 4. E.
pist: 72.

Maß/ 10. cum laude reperiuntur. Horsum tandem optimo re-
feruntur jure tot munifici Freibergenses è Choro, Foro, ac Toro,
qvi hospitio, & mensà liberali intrà parietes suos non-nullos ex-
cipiunt discentium, ut vel Pedagogorum, vel famulorum fungan-
tur munere. Et quæ plura, pagellarum prohibitus angustia,
praterire nunc cogor. Nonne ingentia, & cedro digna hæc be-
neficia? Sed nonne largissime à DEO compensantur? Imò verò.
Ecquis enim nescit, & temporalia, & eterna divinitus liberali-
bus ergà egenos, quorum juvantur precibus, esse constituta præ-
mia? Certè facultates illis retributum iri & opes largiores, ex-
pressè sacer asserit codex. Qvi pauperibus erogat, is, dicente Re-
gum sapientissimo, nullum sentiet defectum. Imo ipse Chri-
stus, qvi minimorum horum, inquit, unum potaverit saltem po-
culo frigide in nomen discipuli, Amen, dico vobis, non perdet mer-
cedem suam. Sanitatis & longævitatatis beneficio munifici fruuntur,
utpotè quorum ossibus Deus subindè addet robur. Famam non
intermorituram accipient: Sic enim David, dispersit & dedit
pauperibus, justitia ejus stabit in seculum. Posteritas eorum bo-
nis maclabitur, benedictione florens, juxtà ejusdem Davidis, vel
potiùs Spiritus s. effatum. Imò, qvi talem egenum suscipiunt
adolefcentem, ipsum suscipiunt Christum, eodem asserente; qvi
verò Christus receptus non apportaret dona & bona necessaria
& utilia? Velificantur tales egregiè glorie DEI, cum eorum edu-
centur liberalitate, qvi omnibus præesse & prodesse queant Hie-
rarchis: undè Megalander Lutherus ait, daß solch Geld hertzlich
wohl angelegt sey. Sistam autem Lutherum adhuc semel: Ist
hie nicht dein Pfennig oder Arbeit/ so du an solchen Sohn (ar-
*men Schåler) wendest/ allzuhoch geehret/ allzu herrlich gesegnet/
allzuestlich angeleget/ und besser denn kein Königreich noch Kåy-*
serthum ist für Gottes Augen gerechnet? Auff den Knien solte
einer solchen Pfennig biß an der Welt Ende tragen/ wenn er
wäste/ daß er solte daselbst so herrlich und theuer angeleget
werden. Jungam ipsi γνωσις Lutheranism, de Ecclesiis Scho-
lisq;

lisq; purioribus excellentissimè meritum, *sympatriotam* no-
strum, *Dn: D. JOHANNEM* Naufisch / nunc stellæ splendidis-
simæ instar *in cælesti fulgentem Academiâ*. Hic sicuti, dum vi-
veret, nulli pepercit labori, ut *pauperibus discipulis*, præter
doctrinam sinceram, de necessariis prospiceret: (quem in finem
Ærarium Pauperum Gedani erexit, & locupletavit cum immor-
tali nominis famâ) ita *sensa animi* de præsentî negotio his
notantissimis protulit verbis: Ich laß einen andern durch hohe
Ehren-Seulen / gewaltige Schlöffer und Häuser / ja auch eufferli-
che Kirchen-Gebäude von Holz und Steinen seinen Ruhm suchen
und setzen / und will daselbe als ein denckwürdiges und iederman
in die Augen leuchtendes Werck in seinem Werth lassen / jedoch die-
ses darbey erinnern / daß solche alle gar leicht können eingeäschert
werden / *zc.* Solte mich / pergit, mein lieber Gott an zeitlichen Güt-
tern segnen / so solte das meine Hertzens-Lust und Freude seyn / an
arme verachtete und verlassene Kinder / so für den Thüren das Brod
bitten müssen / Mühe und Fleiß anwenden / damit ich dieselbige
als lebendige Steine zum geistlichen Hause und Priesterthum er-
bauen / und zu Tempeln des lebendigen Gottes / darinnen mein
Gott / Vater / Sohn und H. Geist wohne / machen möge. Sol-
chen Ruhm wird mir das Feuer des jüngsten Tages nicht
auszülgen können / wann nach des Apostels Petri Worten / die
Himmel mit grossen Krachen zergehen / und die Element für Hitze
zerschmelzen werden / sondern es wird mir und allen gläubigen
Christen für dem Richter-Stule meines *HERRN* Jesu dieses
Glaubens-Zeugnüss widerfahren: Kommt her / ihr Gesegneten
meines Vaters / ererbet das Reich / das Euch bereitet ist von An-
begin der Welt. Denn ich bin hungertig gewesen / und ihr habt
mich gespeisset / *zc.* Wahrlich ich sage Euch / was ihr gethan habt
einem unter diesen meinen geringsten Brüdern / das habt ihr mir
gethan. *Nonne liberalitatem egenis declaratam discipulis sic sa-
tis largè compensari credis? Undè, cum tam laudabiles se ha-
bitenus nostri præstiterint Freibergenses; quis, illos imposteriorum*

Vid: quæ in
fine der
Geistlichen
Sing- und
Bet-stunde
p: 302 seqq.
habentur
lectu dig-
niss:
in præfat:
der Geistl.
Sing- und
Bet-stunde
sub finem
Conf: Dan-
havv: Col-
leg: Decal:
edit: noviss:
disp. 7. cir-
ca fin:
quæst: 4. p:
535.
1. Pet: 2, 5.
2. Cor: 6, 16.
Joh: 14, 9.
2. Pet: 2, 10
Matth: 25,
14 seqv:
Conf: Gal: 6
7. &c.

par-

96
500
QA

parciori seminatueros manu, nec potiùs *pro re natâ largiorem facturos sementem*, dicat? Nos verò *beneficia, quibus paupertina juventus à Freibergensibus piis olim & nunc excepta, considerantes singularia, nonnullos discentium, ut publicè ista celebrata gratiarum honorarent actione, instigavimus. Dicent autem, postquam* *Prælogus, Joh: Georg: Rebentrost / Drebac: Misn: Dnn: Auditorum favorem eblanditus fuerit, de Munificentia Freiberg: Vivorum, respectu*

I. Chori symphoniaci membrorum, Christianus Pohl / Freib: suo, & qui mox sequetur, Christiani Brätzmachers / ad Academiam abiturientium, nomine gratias DEO & Benefactoribus subjecturus.

II. Mensæ Communis Convictorum, Daniel Seidelius, Tzschop: Misn:

III. Currendariorum, Bernhardus Schale / Ossit: Misn: Mortuorum Freiberg: sive eorum Legatis, Christianus Brätzmacher / Falcoburg: Neo-March:

Quibus propter materiae affinitatem adjiciet Martinus Schreibeber / Lommat: Sermonem de vitâ & pietate Dn: M. Francisci Christophori Berens / Lune-burg: Theolog: candid: p. m. qui elapso autumno discentibus scholæ nostræ pauperibus 20. Imperiales, cum Bibliis Lutheri German: elegantiss: legavit, eò quòd in Freiberg: Gymnasio antè ad Academica præparatus fuisset Studia. Demùm

Epilogus, Godofredus Wahl / Freib: post brevem dictorum recapitulationem Gratias Dnn: Auditoribus dicet pro virili.

Vos verò, Amplissimi Dnn: Inspectores, ceteriq; omnium Ordinum & Dignitatum Viri Honoratissimi, quin tantum temporis negotiis vestris gravioribus detracturi, Scholæq; in Ev: getas pietatem audituri, & stimulos ad ulteriora addituri sitis, cur dubitemus? Itaq; ut Cras, DEO clementer indulgente, finitæ Sacris Antemeridianis publ; ad Auditorium vos conferatis, ibiq; assidentes nostrorum conatûs percipiat is & perspiciatis, cum oblatione precum devotissimarum, officiorumq; paratissimorum, quantâ debeo, quantâq; possum, animi rogo contentione. B. V. Dab: Freibergæ è Muséo calamo volante,

VII. ID: April: A. M. DC. LXX.

h. 101, 13.

D. D.
DE

INSI MUNIFIC

PIORUM. E
ERC

PAUPERTINOS.

GRAVISS. DNN

RELIQVI. URI

TITULIS. COM

ORN

NON-NULLOS.

DICTU

EANDEM. CEL

PRO. I

GRATIAS.

CRAS. N

AU

OFFICIOS.

M. MICHAELE

REC

FREIBERGÆ. T



9

